



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXVIII. Eadem Dei cura prouidentiáque, in conseruandis  
matrimonijs, tam dæmonis, quam Sanctorum ope duplici, declaratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Dan. 13. 2;

elegantia, educatione, pietate, opibus florentem, utpote, filiam Helcia, pulchrā nimis, & timentem Deum: parentes enim illius, cum essent iusti, erudierunt filiam suā secundum legem Moysi. Hæc talis quod non periculū peccandi deuenit? sed, quia Deum timuit, & vitiosos superauit. Quin & à senū, immò, & iudicū falsi testimonio, & à presentissima morte ac infami supplicio ereptus est, Deo Daniele mittere. Sic coniugi coniunx est, restituta

## C A P V T XXVIII.

*Eadem Dei cura prouidentiaq̄, in conseruandis matrimonijs, tam demonis, quam Sanctorum ope duplici, declaratur.*

I.



Abellam quidam vocant, quod de nobili Lombardis refert Boccacius; quem ait, ad terram sanctam occidentem, Hierosolymitanæ militiæ nomen dedisse, domoq̄ue discedentem coniugi suæ annuli signatoriam partem alteram reliquisse, cum hoc pacto, ut, si intra triennium, ab ea die, non rediret, vxori liberum foret, arrha hac & symbolo neglecto, alteri cuiunque veller, marito nubere. Hac lege atque conditione facta profectus, in Iudæa captus est, ac in Ægyptum abductus. Ibi Sultano (quem jam olim, in Europa, peregrinantē, licet ignotum comissimo hospitio receperat patris eius) propter parentis humanitatem, viriq̄ue insignem prouidentiam & præclaram dignitatem, mox adeò placuit, ut eum honestè haberet, ac deinde probatis, diutinā familiaritate, eum moribus, omnibus illum rebus suis præficeret. Iosephum aliqui dixisses. Vertente triennio, hic talis oeconomus repente in extremam incidit tristitiam. Cuius causam Sultanus multis verborum blanditijs expiscatus, Dijs depulsoribus, seu Auerruncis opus esse censuit. Itaque magum aduocauit, qui illum, in lectulo pretioso consopitum, & magna auri gemmarumq̄ue viuentium, postrema trium annorum nocte, spiritibus baiulis, Pæpiam in summum templum, deferendum curauit. Aditus, et manè conspecto, trepidus fugit; ac dum alijs in via de specto narraret Ægyptio, obuiam iam virum eundem habuit, ad adu vxoris properantē, eodem die ipso ab alio sponso, vesperi, do-

mum



num ducendæ. Usque ad eò in tempore rediuit. Hæc vel fabula, vel historia matrimonij amantem & obseruantem coniugem ostendit. Neque enim tam eum coniugis absentia, quàm coniugalis fidei violatio, quam instare ominabatur contristauit. Ostendit, etiam in Sultano, peculiarem quendam matrimonij fauorem. Quamuis ille, dæmonis ope, ac magica transportatione, malè vltus sit; potuit tamen maritus ( quia inscius & dormiens ) innocens transportari, diuina prouidentia peccatum Sultani, & obsequium diaboli, fortasse inuiti & coacti, in coniugij incolumitatem conuertente. Quod cur facere non potuisset, cum legamus sæpe, vel à sanctis Alastorem hunc, quasi mancipium, ad pia officia adaectum? Si credimus Marulo, *Antidius Turonensis Episcopus, Cacodæmonem latum ac gestientem videns, quòd Zozimum summum Pontificem septennio sollicitatum, tandem ad stuprum committendum, se impulisse diceret: haud cunctandum ratus, illi præcepit, uti se eadem celeritate, qua venerat, Romam perferret. Die altero Pontificem adiit, relatisq; , qua de illo dæmon jactauerat, ruborem ei pauoremq; , iniecit; & confitentem protinus ad pœnitentiam conuertit; eodemq; vectore vsus, diei spacio ad Turonem redijt. Timuisset se se dæmoni credere, nisi proximi charitas foras misisset timorem. Cuius quidem charitatis merito effectum est, ut is, qui Papam corruere fecerat, Episcopo obediret. Quæ si vera sunt, nemo in calumniam rapere debet, quasi & Antidius vir sanctissimus, arte magica sit transfuectus, more sagarum. Aliud est, potestate diuina diabolo imperare; aliud ei se obstringere, & venditâ animâ, illius emere obsequium. Alioqui, si magus est, quisquis se sinit à malo spiritu exportari, Christo ipsi hoc crimen impingemus, quem *assumpsit diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Nisi fortè aliud sit Romam, aliud Hierosolymam deportari. Maneat igitur, Sultanium & Magum, in mali dæmonis ope imploranda, peccasse; peccatum tamen vnus aut alterius, diuinæ sapientiæ arte, in bonum coniugij redundauisse.*

Quod verò sacræ litteræ docent, vniuersi gubernatorem factitasse, ut coniugij integritas, facta tecta conferuaretur, id, ne fabulâ duntaxat stabilitum videatur, etiam alia non absi-

Marc. Marul.  
lib. 3. c. 2.

Antidium  
habet Marcy-  
rolog. Viuar-  
di. 16. 15. Iun.

Matth. 4. 5.

II.



Ludouic. Ri-  
cheom. in Pe-  
regrin. Lau-  
retan c. 145.

mili, sed verissima historia lucidissime potest confirmari. Itaque hic illam quoque recensebo, quam ex Belle Forest, etiam ad sibi, tanquam plurimum admirationis habentem, narrandam existimauerunt. Igitur historia à maioribus tradita talis est. Circa annum 1386. regnante, in Gallia, Carolo VI. maxima pars nobilitatis Gallicana in Hungaricum regnum, illud contra irruptiones Turcarum defensura, abiit. Inter ceteros autem nobilis, sed vegetus adhuc et robusto corpore, ac miles sanè egregius, maximo desiderio, ad hoc bellum sacrum, anhelabat; gloriosum reputans, si pro defensione religionis vitam impenderet. Vxor eius honesta piæq; domina, sed iuuenis coniugii sui unice amans difficillimè consensum præbebat, sed cõtinuis tandem, immò importunis eius precibus expugnata fecit illi potestatem exequendi, quod volebat. Omnibus itaque ad hoc iter comparatis, quæ equestris ordinis nobilem decebant, uxori valedixit, atq; mutui amoris aliquod inter eos symbolum; ut superesset, diuiso aureo annulo, qui gestabat, ac vna medietate sibi reseruata, alteram illi tradidit, et statim, cum cætera nobilitate Gallica profectus plurima et rara prudentie et fortitudinis signa, in bello hoc, edidit. Verùm peccatis Christianorum hostem armantibus, ipse victor nostros debellauit, adeoque protriuit, ut penè totus Christianorum exercitus, in acie ceciderit, plurimiq; nobiles, inter quos et ille, in Turciam captiui abducti sunt. Conabatur ipse, plurimis vijs, pro redemptionis pecunia, ad uxorem litteras transmittere. Sed neq; ipse responsum, neq; vxor litteras accipiebat, adeoq; septennium integrum varijs molestijs subiacuit, cum frequenter venum iret, et varios fortiretur dominos, qui omnes, et hominem senem et inutilem, et de lytro desperantem, dedignabantur.

Euoluto autem tandem fere septennio, incidit in potestatem inhumani, et verè crudelis cuiusdam heri, qui videns se spe lucri, quod captiuus pro sua redemptione promittebat, frustrari, statuit enim et hac vita amoliri, executione cuidam seruo demandata, quod nobilitatem intelligens, frustra quoq; omnem suam spem esse, resumens ex desperatione animum verè nobilem ac Christianum, statuit se ad mortem patienter perferendam comparare. Verùm ad diuinum, ubi humanam iam deficiebat, auxilium inuocandum se prius contulit, commendauitq; se S. Iuliano, cui semper deuotus fuerat, addito voto, se ei sacellum adificaturum, si eius precibus, diuina ope, ex his angustijs eriperetur.

Qui



Quo facto, obdormiuit, & post paululum experrectus, cum se putaret adhuc in ergastulo, in quo mortem operiebatur, herere, solutum catena seruili, & in medio cuiusdam sylua se esse deprehendit. Primo autem aspectu arbitratus est, somnium esse, & adhuc pristino se carcere teneri, ut in similibus admirandis casibus, & spem nostram excidentibus euenire solet. Quemadmodum & S. Petrus ab Angelo artissima custodia eductus, putabat, se visum videre: demum probe in consilium aduocatis sensibus, cum calum terramq, aspiceret, arbores contrectaret, persuasit sibi tandem se precibus Sancti, in aliquod Turcia desertum translatum, ut hinc tandem ad suos redire posset. Deinde huc illucq, respiciens aliquot puellas pecora pascentes aduertit, quas idiomate Turcio appellans, rogauit, quanam illa sylua esset: illa putantes hominem loqui latine, vel Anglice, dixerunt Gallice, nescire se; quid vellet; Quod cum audiret, cepit multo magis dubitare, ne forte somniaret, & quasi somnians ait ad eas Gallice, quenam est hac sylua? Ille vero, Baqueuille, aiunt, qua sui juris erat, quam millies venando peragrarat. Totus itaq, attonitus, oculos huc illuc circumferens, ut sensuum suorum experimentum faceret, agnouit demum se non somniare, sed verè, in Normandia, & Castello suo proximum esse, statimq, eò contendit

Recta iam ad Castra contendebat, cum maximam nobilium turbam sensim se eodem conferre vidit. Portarium adiens, se, dixit, colloquium Domina optare: cui Ianitor: quid eam vis? Magni ponderis negotia mihi cum illa communicanda sunt, respondit senex. Et ille, difficillimum id erit, nam benedictionem matrimonialem iam susceptura ad missam se audiendam parat. Stupefactus Dominus amplius alloquium vrsit, sed ianitor indignabundus, operam, obiecit, perdis, nihilominus tamen Dominam adiens, dixit, ad portam heremitam quendam astare, qui eam verbulo conuentam vellet. Matrōna erat verè pia, & studijs Eleemosynæ apprimè dedita. Et iam septennium maritum luxerat, omniumq, suorum iudicio & consilio quasi adaeta, ad secundas nuptias pergebat. Putans autem heremitam Eleemosynam petere, Praefecto domus iussit largam elargiri, & si quod speciale vellet, id ad se referret. Abijt Oeconomus, eijs, coronatum aureum obtulit. Cui senex Eleemosynam hanc peto, sed obnixè te rogo, ut dominam, antequam ad sacrum pergat, alloqui liceat,



cui si persuaseris, ut me audiat, fidelis ministri partes implerent. Prefectus suspicatus, quod res erat, ascendit, dixitq;: Domina mea, verbum habet ad te, additq; necessarium esse, ut, antequam scilicet accedas, te alloquatur: aut hor tibi sim, ut ad inferiorem illam descendens hominem audias, quis scit, si forte de morte aut reseramento mariti tui Domini nostri aliquid certi apporet? assentitur, descendit, & seorsum, iuxta fenestram quandam se collocat.

Bonus senex lento gradu accedit, per mediam transiens aream, omnibus, cum admiratione, cum intuentibus. Aspiciebant enim macilentum & exsanguem senem, totum canum, proluxa barba, capillitio male pexo, & more Turcico, longa synthesi vestitum. Veniens verò in matrona, nuptiali iam vestitu apparatus, conspectum, profunde se prius inclinans ad eam ait: Domina, ex Turcia recentis aduenio, noui ibi aliquando hominem, qui se Dominum in Baqueuille appellabat, vesterq;, ut modo intelligo, maritus, & huius loci Dominus fuit. Septennium est quidem, quòd in clade Hungarica, cum plurimis Gallica nationis hominibus, in hostium potestate deuenere; diu lytrum pro se exsoluendum expectauit, plurimasq; partem temporis molestias pertulit, Elapso anno, nullum ne nuncium, aut litteras accepisti? Cui illa: Ah bone vir, iam septimus illius defectus agitur annus, ex quo neque litteras, neque nuncium ab eo videri accepi, adeoq; credimus, eum obisse; si enim sciuissimus, ubi locorum detentus fuisset, neque aurum, neque argentum impedimentum posuisset, quo minus ad libertatem pristinam redisset; atque utinam consilij sua charissima coniugis morem gessisset, nunc adhuc, procul dubio, viveret; neque tantis molestiis incommodusq;, qua eum intulerat, & vereor, & lugeo, subiucisset; nec tot curis & angustiis carum, & suum afflixisset: eoq; dicto, in lachrymas prorupit: subiecitq;, nihilne præterea de illo habes? nam, sine causa, te mihi loqui voluisse minime reor. Bonus senex ex verbis & gestibus uxoris colligens, se adhuc eidem incognitum, respondit; quid si eum tibi exhiberem, putasne agnosceres? cumq; illam videret colorem mutasse (nam illa verba cordis eius ima penetrabant) familiari alloquio usus dicit: Amica mea, nunquid agnoscis Baqueuille maritum tuum, & hoc dimidium annuli, nostri amoris mutui symbolum? Ipsa pignus aspiciens, & hominem cominus intuita, agnoscit mox vultum & vocem mariti



mariti pristinam, & lachrymabuunda eum amplexans exclamat, ò Domine ac marite mi, & inter hac decidit in anima deliquium, quam ipse debilis, ut potuit, sustentabat. Magister aula ceteriq; ministri, qui in altera aury parte confabulantes consiscebant, & nihil horum audierant, visis his amplexibus, protinus accurrerunt, dominumq; suum agnouerunt. Nec mora; toto castro huius tam insperati nunciij mox fama percrebuit: & nuptias, non nouus sponfus, sed antiquus maritus celebrauit:

Ibi enim mira omnium mutatio, ingens gaudium amicorum, incredibilis cognatorum laticia, stupenda exultatio ministrorum, maximus omnium applausus; sed inprimis attonitus vetulum hunc sponsum sponfus nouus admirabatur, qui capere non potuit, conuiuio nuptiali, à se parato, alium praesse. Sed tandem & ipse Deum laudauit, qui spurijis nuptijs impeditis, coniugium primum verumque tam opportuno tempore, accito, ex ipsa Turcia, legitimo marito, sartum tectum conseruasset. Neque nobilis ille voti immemor fuit. Siquidem S. Iuliano sacellum pulcherrimum exadificauit, & non diu post pie, in Domino, obdormiuit. *Barba eius & capillitium testudini sacelli affixa, velut insigne huius miraculi testimonium, longo tempore, & adhuc, ut ante quadraginta annos, à pluribus visa fuerit, & fortè hodie cernuntur.*

Quanta, in hoc casu inest Numinis prouidentia? quanta cura, ne matrimonij sanctitas inquinaretur? Post septennium, ex ipsa Turcia, senem paucis horis, non jam per atros, sed sanctos per angelos, curat transportari, ut illegitimas nuptias detegat, adulterium impediatur, & legitimum coniugium non interrumpi patiat. Et quanquam viri probitas, inuocatio S. Iuliani, castitas vxoris meruerint custodiam Dei peculiarem, doceantque, adesse diuina auxilia coniugibus sese mutuo, in Christo, castè diligentibus; monentur tamen vel viri, vel feminae, ne sint praecipites ad secundas nuptias celebrandas, si de prioris coniugis morte certò nihil constat. Nec Gorgo antè nupsit, quàm sciret Leonidam suum, in bello contra Persas suscepto, obiisse, licet à Leonida discedente monita esset, ne uida maneret, sed filios Reipub. educaret.

Quàm

III.

IV.

Plutarch.  
in Lacon.  
apoph.



V. Quàm crebros videmus eiusmodi contingere errores præsertim eo tempore, quo à coniugibus maritos bellum aliud abstrahit? Verum est, non modò, in prælijs, occumbere multos, sed etiam in castris plurimos lue, fame, infami arbore absumi; aut inter prædandum occidi: num idcirco quæuis domi vxor libera est, atque à matrimonij vinculo absoluta, quia scilicet eiusmodi accidere? Nequaquam. Potest esse belli mortuus maritus: potest & viuere. Cur illud potiùs præsumitur, quàm istud? Quàm multæ hîc feminæ peccauerunt, viros, nimia nubendi celeritate, geminando? quod cum huic tam fideli viri sui amanti contigerit, quid timendum est, de feminis procacibus, & virum vltro rapientibus? quarum libido, ne ad biennium quidem, ne dum, per septennium, absentiam mariti potest tolerare? Quidquid sit de pacto, quidquid de coniugio, quidquid de sacramento, dummodo virum habeant, dummodo libidinis fiat satis, non curant, vt Deo fiat satis. At Parochi debent curare, curare debent & confessarij. Hi conscientiæ stimulos addant, & quanti sit res momenti, admoneant: illi sciant, non sufficere, ad permittenda eiusmodi matrimonia, maritum ad bellum iuisse; iuerunt & alij, sed rediuerunt: neque satis esse absentiam diurnam. nobilis iste, toto septennio, absuit, neque tamen id ad legitimum aliud matrimonium suffecit: multi viginti, multi triginta annis domo abfuerunt, neque tamen licuit ad secunda vota vxori transire. Ipse, in fabulis, Vlysses toto decennio, ad Troiam hæsit, nec tamen Penelope, in Ichaca, seu procorum, seu porcorum totis armentis cessit. Et iuxta leges, quiuis præsumitur 100 annis posse viuere. At nihil de absente auditum est? quid tum? etiam maritus in castris nihil audiuit de sua vxore; num idcirco aliam ducere illico debet? At cur litteras saltem domum non misit, vt constaret viuusne esset coniux, an ad plures iuisset? Quid si litteras scribere nesciat? quid si scripsit, sed litteræ vel ab hoste sunt interceptæ, vel casu interierunt? Quid si, vt hic prædictus nobilis, ab hoste captus, atque in Turciam, Sueciam, vel in ipsam Mauritaniam abductus est? Nunquid è Turcia nobilis iste sæpius scripsit? nuncquid sollicitus fuit, vt litteræ ad vxorem, & inde Iytrum ad se

L. fin. C. de  
sacros. Eccles.



ad se veniret? sed quis, apud barbaros, immo apud hostes tam fidelis est, quis eum laborem sumit, vt litteras perferat? Frustra ad litteras prouocamus, cum eæ haberi non possunt. At miles auditus est, qui diceret, se putare mortuum esse Sempronium in bello? Credisne tu, vxor, tu Confessarie, immo tu Paroche, quod miles putat? & miles talis, cui vel iuranti fides non esset adhibenda? Vt ergo fas sit alteri nubere, necesse est, vt de morte prioris coniugis moralis sit certitudo; de qua debent viri docti atque sapientes æstimare, num scilicet omne, prudens dubium excludat. Certè pro primo coniuge stat confessio, ac præsumtio, quam non decet per argumenta solum probabilia elidi. Hæc si attendantur, tunc matrimonio aderit protector Deus. Quia polygamia à diluuiò vsque ad Euangelium concessa reuocata est, vt non fas sit vnà plures ducere, iuxta illud: *Erunt duo in carne vna.*

Præpos. q. 7.  
n. 163. Bona-  
cina q. 3. p. 10.  
n. 12. Sanch.  
l. 2. d. 46. n. 7.  
Match. 19.

C A P V T. XXIX.

*Illicita pluralitas vxorum in quantas tricas  
conijciat?*



Varundam mulierum, aut etiam virorum tanta, non jam ignorantia, verùm etiam nequitia est, vt, nullà sacramenti reuerentia, nullà sponsionis fide, nullà Numinis irâ aspectâ; non tantùm coniuges, sed ipsa etiam coniugia mutent. Ea nimirum est nonnullorum leuitas, vt toties illis noua placeant matrimonia, quoties nouus placet maritus, aut noua vxor. Dummodo magistratus nesciat, nihil pensi habent, quid conscientia lætret. Cererem & Venerem, hæc sola duo idola, aduenerantur. Satis illis est, vt comedant & ludant. Quoties igitur prioris coniugis sarietas est, cogitant, qua via ab eo discedant: & satis magna diuortij causa est, displicuisse. Si læsit pars altera, ab altera fuga circumspicitur, & titulus inquiritur, vt nec sponsus, nec consponsus obstructus videatur. Ad hoc nulla non janua, nulla non rima tentatur. Fingunt, consulunt, mentiuntur, vt impedimenta obtendant, vt connubia dirimant. Iam se aiunt violentè in eum statum coniectos;

I.

Sanch. l. 4. d.  
14. n. 1.

Y y

animo